



n. 112, 6.

II. 433.

NVMI BRACTEATI  
**NVMBVRGO-**  
**CICENSES PEGA-**  
**VIENSES QVE**

REVERENDISSIMO PRINCIPI

DOMINO

**MAVRITIO VVILHELMO**

S. I. C. M. A. & VV. DVCI

POSTVLATO ADMINISTRATORI

EPISCOPATVS NVMBVRGENSIS &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

jure territorii vindicati

*Et è tenebris erutè.*

<sup>a</sup>  
**JO. ANDREA Schmidt**

SS. Theol. & Antiquitatum S. in Academia

Julia Prof. Publ. Ord. designato.

*JENÆ,*

Sumptibus HENRICI CHRISTOPH. CROEKERI, Bibl. & Calcogr.

Literis Müllerianis. A. M DC VC.




NUMMI BRACCTEATI  
NUMMIVRGO  
CICENSIS PEGA-  
VIENSIS QVE  
REVERENDISSIMO PATRI  
DOMINO  
MAVRITIO VVILHELMO  
S.I.C.M.A. & VV. DVCI  
POSTVATO ADMINISTRIATORI  
EPISCOPATVS NVMBVGENSIS &  
DOMINO MEO CLEMENSSIMO  
Jure doctori viridicali  
S. A. M. A.

JO. ANDREA  
S. Theol. & Antiquarior. in Acad.  
Julii Prof. Publ. Ord. dignit.  
S. A. M. A.  
Sumptibus HENRICI CHRISTOPH. CRO. KRATZBI. & Collog.  
Luetzschellensis. A. M. DC. VC.







REVERENDISSIME ATQVE  
SERENISSIME PRINCEPS

*Domine Clementissime*

**A**ccipe quæ Tua sunt, per  
varios casus ad me tandem  
delata, non sine numine. Sæpe  
enim

2 2



enim hactenus mecum mente vol-  
vebam, an non vel uno nomine, qui  
Tibi tot nominibus obstrictus vi-  
vo, humillimum meum obsequi-  
um publice testari possem. Nunc  
PFLUGIANA, quorum quæ-  
dam adhuc mihi conquirenda  
sunt, occurrebant; nunc alia ani-  
mo obversabantur, quæ tamen de-  
siderium, quo ardebam, non tam  
promovebant, quam morabantur.  
Commodum ergo fiebat, ut numi  
superiorum seculorum, vel effigi-  
es Tuorum in sede episcopali an-  
tecessorum, vel insignia episcopa-  
tus monasteriorumq; referentes,  
ad me devenirent, occasionemq;  
mihi præberent, sanimum sub-  
missum declarandi. Hos officii  
mei



mei monitores primus e tenebris  
eruo, Tibiq; REVERENDISSIME  
PRINCEPS humillime reddo, cui  
debentur jure non duntaxat terri-  
torii, in quo & olim cusi & nostris  
temporibus pleriq; reperti, sed &  
jure successionis in sede episcopa-  
li, quam iisdem imo ampliori-  
bus tueris privilegiis. Non qui-  
dem comparandi sunt, fateor,  
cum gazis Græcorum & Romano-  
rum veterum, quibus hodie au-  
læ Virorum Principum superbi-  
unt, ex eo nihilominus aestiman-  
di, quia cimeliarchia Regum illis  
lapearent, imo maxime quia no-  
stri. Nostra alias negligere sole-  
mus, & aliena curare magis, sed  
exinde contigisse nosti, ut in illis,



quæ ab avo nostro longe remota  
sunt, Argo nobis ipsis credamur  
esse oculatiores, dum interea cir-  
ca mediæ & infimæ ætatis res cum  
talpis æque cœcutimus. Si forte  
simile quid in præfenti negotio  
mihi, in tenebris versanti, accide-  
rit, erranti viam monstrabis cle-  
mentissime, lucemque præferes,  
qui Tuarum æque ac aliarum re-  
rum peritissimus haberis ab iis  
quoque, quos fama dudum inter  
statores conservatoresque histo-  
riæ ac rerum genealogicarum re-  
tulit. In illis vero, quæ vulgaria  
nimis, nec tanto Principe digna  
videbuntur, noctuas me detulisse  
Athenas observabis quidem, sed  
pro Tua nunquam non celebran-  
da

sup

8 6

da



da clementia cuncta interpreta-  
beris benigne. Tenuitate omni-  
no certat hic labor cum tenui  
bractea, quam in numis his cerni-  
mus; nec ad eam unquam aspi-  
rabit soliditatem, quæ solidis ve-  
terum æquiparari queat. Habe-  
bit tamen adhuc suum valorem,  
si pretium æstimetur non tam ex  
effectu quam affectu, devotique  
animi signis, quæ illi impressa vo-  
lui. Hunc respice SERENISSIME  
PRINCEPS, & quantum inesse de-  
beat pondus numis oblatis, facile  
colliges. Si quæ autem nihilominus  
desse videbuntur, ea supplebit D.  
T.O.M., quem dies noctesq; preci-  
bus defatigatio meis, ut Serenita-  
tem Tuam, in tanto fastigio po-  
sitam,



positam, diutissime conservet, af-  
fluentia bonorum omnis generis  
beet, & non nisi serum, exacta  
mortalitate, inter astra referat!  
Sic vovet ex animo devotissimo

*REVERENDISSIMÆ SERENI-  
TATIS TVÆ*

Jenæ e Museo d.  
XXVII. August.  
M DC VC.

subjectissimus

Jo. Andr. Schmidt / P.P.





**D**

Risci Germanorum, teste Tacito. (a) pecuniam probabant veterem & diu notam, ferratos bigatosque. Pro ea enim, qua tunc vivebant simplicitate, possessione & usu auri argenti que non perinde afficiebantur, ac numero armentorum, quæ tunc gratissimæ opes. Postquam autem proximi Romanis, ob usum commerciorum, aurum & argentum in pretio habere cœperant, formas quasdam Romanæ pecuniæ agnoscebant atque eligebant. Has inter præcipue nominantur ferrati bigatique. Serrati, quorum ambitus dentatus atque asper in modum serræ, indicium dabant probæ monetæ. Scilicet, ut nunquam defuerunt numorum adulteratores, sic in Republica quoque Romanorum æneos vel ferreos argentea lamina, sed tenui, obdlexerunt, eos pro moneta optimæ notæ obtrudentes. Huic malo igitur ut medela opponeretur, Triumviri monetales alique, quibus cura monetæ cudendæ demandata fuit, effecerunt,

(a) Mor. Ger. 5. 6.

A

ur





✻ (1) ✻

ut extremitas numerorum dentata fieret instar ferræ, atque sic omnis fraus abesse cogeretur. (a) Bigati vero à bigis impressis ita dicti, ex numero veteris pecuniæ erant, adeo ut, referente Plinio, (b) nota argenti fuerint bigæ atque quadrigæ. Eligebant ergo pro sua simplicitate, an candore, argentum quod optimum quodque purissimum æstimabatur, qui à fraudibus abhorrebant & alias argentea vasa, legatis & principibus eorum muneri data, non in alia habebant vilitate, quam quæ humo finguntur. (c)

Eo in statu credo stetisse rem numariam Germanorum ad longe sequentia secula, sed ita ut usus numerorum latius serpsit ad interiora Germaniæ loca & cum mutato Romanorum imperio alias quoque postea acceperint monetiæ formas. Inter hos præ reliquis fuerunt *Byzantini* aurei vel *Byzantii*, a Franco-Gallis *Besants d'or* dicti, quos Imperatores, apud novam Romam residentes, cudi fecerunt. Eorum in annalibus illorum temporum, & diplomatis, bullis, foundationibus, omnisque generis instrumentis & memoriis mentio fit frequentissima, apud Gallos æque ac Germanos ad seculum undecimum, duodecimum, imo decimum tertium usque. (d)

Non

(a) conf. Excell. Dn. *Wedelius* programmat. de numis ferratis. B. *Matth. Bernegger. quest. 19. ad Tacit German. Dn. Olearius Isagog. ad Numophylacium Braileatorum p. 9. seq.* (b) *H. N. 33. 2.* (c) *Tac. M. G. 5. 5.* (d) *vid. Freber. de re monet. Imperii Romani lib. 2. cap. 1. p. 35. seqq. Carol. du Fresne Glossar. med. Latinit. Tom. 1. p. 664. Paul. Hachenberg. Germ. med. diff. 10. de re numaria §. 7. p. 359. sq.*



Non tamen interea Germanis nostris defuerunt alii numi, quos Carolus M. ejusque successores dederunt. Extant quippe aliqui illius, in quorum uno latere caput Caroli cum laurea, quæ apud Reges occidentis non valde frequens erat. Inscriptio præposita cruce sic se habet: DN. CARLVS IMP. AVG. REX F. & L. In parte averfa triplicem vides crucem, quarum ea, quæ medio loco ponitur, in frontispicio templi conspicitur, cum inscr. XPICTIANA RELIGIO; & cum in Græcorum numis inscriptio tendat a sinistra ad dextram, hic e contrario a dextra ad sinistram ducitur. (a) Successor Caroli simili modo nummos suos signari fecit, sine tamen effigie sua. In uno enim latere observatur crux in medio coronæ, vel ut alibi in circulo, quam in superiori loco excipit alia cum inscr. HLVDVICVS IMP. In altero latere iterum conspicitur crux in vestibulo templi, cum verbis: XPICTIANA RELIGIO. Ubi obiter notamus, autores non convenire circa literam H. Ludoviciano nomini præfixam. Quidam putarunt denotare germanorum *Herr*, quæ tamen sententia probari nequit, cum aliis Imperatoribus eadem litera non sit addita. Verior forte videbitur conjectura Gretseri (b) priscos Reges habuisse nomina CHLOTARII & CHLODOVEI, in quibus ob asperitatem primo litera C. fuit abjecta, & tandem successu temporis etiam H. desit addi, & pronuntiari cœpit LOTHARIVS & LODOVEVS sive LVDOVICVS. Verum his similibusq; numis frequentio-

A 2

res

(a) *vid. Gretser. de cruce Tom. 3. p. 1886. add. Spelmann. in vita Ælfredi R. tab. 3. num. 33. (b) l.c. p. 1887.*



res usu fuisse Byzantinos ante laudatos, ex actis publicis constare arbitror. Nisi quis dicere velit, horum majorem fuisse rationem ad usus publicos, illorum vero vel aliorum ad privatos; quod colligere licebit ex capitulari Caroli M. an. DCCC. cap. VII. & *illi denarii Palatini mercantur & per omnia discurrant.* (a) Quod si vel maxime concessero, fateri tamen cogor, paucos illorum hoc ævo superesse.

Hi ipsi autem summi Imperatores, postquam observaverant falsas monetas in multis locis contra justitiam & contra edictum fieri, non una constitutione publica voluerunt, ut *in nullo alio loco moneta percutiatur nisi ad curtem,* (b) sive quod idem est in palatio, à quo etiam denarii Palatini dicti fuerunt. Adjectam tamen hæc lex restrictionem habet: *nisi forte iterum aliter à nobis fuerit ordinatum.* Ut enim jam olim in Gallia, licet aliter se res habuerit sub Merovingis aliter sub Carolovingis, (c) Comitibus, Baronibus (id est magnatibus & proceribus regni secundum usum loquendi illorum temporum) Episcopisque privilegium monetae cudendæ à Regibus fuerat concessum; imo etiam monasteriis, teste privilegio Dagoberti, quod anno DCXXIV. Weissenburgensi dedit: *Ad hæc monetam in se habentem imagines & literas, expressamque similitudinem Nemetensis monetae eidem loco concedimus.* (d) Sic in Germania Imperatores aliter

tem-

(a) Tom. I. Baluz. edit. p. 464. (b) Capitular. lib. 3. cap. 13. p. 756. lib. 6. cap. 284. p. 970. (c) monente B. Conringio in censura diplomatis Ludoviciani cap. 16. p. 297. (d) ap. Lehman. Chron. Spir. lib. 3. cap. 12. p. m. 220.



temporis successu rem monetariam ordinarunt. Nimirum facultas argenti signandi fuit data quoque Marchionibus, Landgraviis, Comitibus, Urbibus & præcipue monasteriis, aliisque in ecclesiastica dignitate constitutis personis, Archi-Episcopis, Abbatibus & Abbatissis. Testes hujus rei sint, ut alias nunc non memorem, concessionem Ludovici & Ottonis I. Ille anno DCCC. Bovoni II. infra Abbatiam Eresburgensem in villa Hotohusen mercatum & monetam cum telonio largiebatur, juxta tenorem literarum, quas exhibet Dn. Paullini. (a) Otto I. quoque, ejus temporibus in Saxonia primùm inventa fuit vena argenti. (b) Novæ Corbeix mercatum, monetam & telonium Meppensem contulit. (c) Non alia autem de causa personis illis id concessum legimus, (d) quam quod earum rerum, quæ singularem fidem & sinceritatem requirunt, curam tuto illis delegari videbatur, quibus summa ipsa pietatis & integritatis omnium consensu & opinione concedita fuisset. Nec defuerunt muneri suo viri illi ecclesiastici, sed toti, stante illa sanctiori monasteriorum disciplina, in eo laborarunt, ut *denarii monetati*, loquor Caroli M. verbis, *pensantes & meri fierent*, atque hoc quoque puncto antiquam Germanorum simplicitatem non duntaxat præferrent, sed & servarent.

Commodior hunc in finem nulla videbatur ratio, quam ut denarii tanta crassitie non cuderentur, ac

A 3

alias

(a) *diff. 1. de fundatione & donatione primæ ecclesiæ Karoline p. 7.* (b) *Ott. Frising. Chron. lib. 6. cap. 24.* (c) *DN. Paullini diff. 3. §. 3. p. 37.* (d) *Ioach. Vadianus Antiq. Alam. lib. 1. p. m. 29. in Tom. 3. Rer. Alam. Got. dasti.*




alias moris fuerat, & tenui saltim argenti bractea constarent. Per hoc ipsum abesse cogebatur omnis fraus, ceu hodie ipsa numerum inspectio examenque testatur. Cernebantur in his numis plerumque praesulum & abbatum effigies, ob quas Tigurini illos olim dixerunt *Angster* / contracte nim. ab *Angesichter* / quod vultum aliquem humanum referrent, ut praesente Hottingero (a) B. Conringius (b) iudicat contra Vadianum, (c) qui ab *Augustus* vocem illam deducit. Simile quid obtinuisse in Anglia, edocemur à Jo. Spelmano in vita Ælfredi Magni R. (d) ubi de numis Saxonum agit: *Regibus autem nostris scribit, plures erant aedes monetariae. Sicut & nonnullis magnatum, praecipue Episcoporum, in urbibus illustrioribus, flandi, feriundi numos privilegium indultum erat. Æthelstanus (qui seculo X. vixit) dicitur habuisse Londini ejusmodi domos octo, Wintoniae sex, Lewisiae, Hastings, Hamptoniae, Werhamiae, singulis duas: Cicestria unam? Rhoffe tres (binas Rex, unam Episcopus) Cantuariae septem (Rex 4. Archi-Episcopus 2. Abbas unam) Proceres etiam idem, prorsus privilegium sortiti videntur. Unde fit, quod eorum nomina, sicut & aliquando urbium, & praeter haec vix aliqua in altera parte numerum visa sunt. Tenues autem & fere bracteaes sunt eorum numi, utpote falsariis minus obnoxii.*

Rudiores quidam ex illis sunt, quidam elegantiores. Illos credo lignea forma sive ligneo typario fuisse signatos; cujus experimentum ipse non infeliciter sum-

(a) in speculo Tigurino p. 24. (b) l. c. p. 300. (c) l. c. (d) in annotationibus ad tabulam secundam.





sumsi, simulque deprehendi, negotium non procedere, nisi argentum purum putum, in tenuissimam deductum bracteam, sumatur, ut cedere queat & facilius in se recipere formam. Hi vero ob subtiliores imaginum delineationes, omnino desiderabant ferreas. Valor illorum pro varietate magnitudinis sine dubio diversus fuit, neque ille plene determinabitur, nisi collatio sedula fuerit instituta multorum locorum, quæ in historicis eorundem temporum observantur. Videantur interea P.M. Wehnerus in observationibus practicis (a) & B. Adr. Beyerus in Geographo Jenensi. (b) An vero ut in Gallia monetæ, a Baronibus olim cusæ, usus intra dominiorum suorum limites coarctabatur, sic etiam in Germania simile quid his temporibus obtinuerit, in utramque partem adhuc disquiri posse videtur. Licet illa hæcenus ob varias rationes mihi fuerit probabilior, quæ horum numorum usum ad terminos certæ aliæque regionis restringit.

Quamdiu autem usus hujus monetæ obtinuerit, curate definire nequeo. Alii XIII. & XIV. seculo a metalli puritate degenerasse illam volunt, atque sic factam fuisse autoritate publica monetæ mutationem. Sunt iterum alii, quibus communis necessitas causa putatur mutationis, ut sc. in rebus emendis & vendendis commodior daretur ratio. Observo id in legibus Ernesti Elect. Sax. anno MCCCCLXXXII. quarum excerpta exhibet Georg. Fabricius : (c) *Ut aut pretia rebus minora imponerentur, de mutatione monetæ tracta-*

(a) p. 241. seq. sub verbo Goldgulden. (b) p. 255. (c) Orig. Saxon. lib. 7. p. m. 790.



etatum est, non ut detraberetur de bonitate, sed ut numi minoris ponderis cuderentur. Erant autem in usu numi argentei, qui à censu tunc dicebantur, & nunc à vicinis dicuntur Snebergii; ii quidem mutati non sunt, sed percussi novi, quorum duo tantum valerent, quantum antea unus: his à nota gladiatorum, nomen inditum; horum quadraginta valebant aureo Rhenano; percussi item numi minores, quorum duodecim precio equarent novem antiquos, qui à leone nomen habuerunt; percussi denique obuli, quorum quatuor & viginti tantum penderent, quantum antea octodecim. Hoc ea de causa factum est, ut in servitiis atque operis numeranda mercede, item in comparandis rebus necessariis, vilior moneta esset; & pretia rerum augeri minus possent. Cautum autem mandato est, ut omnes alii numi argentei exterminarentur, præterquam Boemici, qui probitate ad Misnenses proxime accedebant. An autem hæc bracteatorum nostrorum ultima an prima fuerit mutatio, non habeo dicere. Posterius certe minus probabile mihi videtur, nisi certis convictus fuero historicorum testimoniis. Jam enim anno MCCCCXXXIX. cum Fridericus, Baldasaris Turingi filius obiisset, & ejus provinciæ ab Electore Friderico II. placido & fratre ipsius occupatæ fuissent, statim renovabatur res nummaria. Percussi numi cum capite Judei pileato, quorum viginti aureo valerent Rhenano; tum numuli dicti Lansbergenses, quorum sexaginta eundem aureum precio equarent. Id autem factum est, quia Friderici negligentia omne genus nummorum minus proborum in has provincias importatum

tum



tum erat: *exteri omnes edicto exterminati sunt, exceptis Boemicis:* (a) Forſan alibi quoque præceſſerat mutatio, de qua ab aliis certiora expecto.

Sed generalia hæc ſunt, quæ latius deduxit DN. J. C. Olearius Ph. M. & hodie apud Arnſladienſes V. D. M. amicus noſter certiffimus, (b) qui ſingulari propenſione in hoc ſtudium fertur, & gratia Illuſtriſſimi Comitis de Schvvarzburg, Domini mei clementiffimi, ad illud porro colendum, cotidie excitatur. Hic ipſe etiam eſt, qui pleroſque bracteatos quos nunc exhibeo, hinc inde meos in uſus conquiſivit non duntaxat, ſed etiam eleganter delineavit, ceu grata agnoſco mente. Optandum nunc eſſet, ut tenebris quodammodo diſjectis, paſſim publicæ luci committerentur bracteati cum illuſtrationibus, vel conjecturis ſaltim. Fieret enim hac ratione, ut collatis inter ſe tot individuis, quædam corrigi, quædam magis firmari poſſent. Liceat & illud addere, quod tractatio talis curioſa non tantum ſit, verum & utilis, cum ex illis hiftoriæ iſtorum temporum sæpe lux afferri queat non contemnenda, quod jam dudum faſſus fuit Cyriacus Spangenberg: (c) Er habe zu ſeinen Chronologiſchen Schriſten under andern auch nicht wenig Anleit. und Nachrichtung bekommen aus denen Bildniſſen und Schriſten auff alten Münzen / und ſonderlich aus denen großen breiten / gar dünn geſchlagenen Pfenningen /

B

ſo

(a) *Fabr. l. c. lib. 7. p. 754.* (b) *in ſupra citata Iſagoge ad Numophylacium Bracteatorum ſuperiori anno edita.* (c) *in der Querfurtiſchen Chronic Vorrede an den Leſer.*



So noch täglich hin und wieder in der Erde begraben/  
 gefunden werden. Sed bene est, quod celeberrimus  
 Tenzelius, Historiographus Saxonicus, quavis data oc-  
 casione illos in publicum producat atque explicet. Fa-  
 ciet id quoque proxime Schlegelius noster, peculiarem  
 materiam ex istis illustraturus. Facient idem alii cum  
 Deo & die. Sed ne verbis duntaxat alios hortari vide-  
 ar, rem ipsam tentabo, quantum quidem per vires  
 meas aliosque labores mihi licebit. Erit autem hæc  
 mea præcipua cura, bracteatos Episcopatus Numbur-  
 gensis sive Cizensis & Abbatia Pigaviensis nummos,  
 quorum notitiam hætenus acquirere potui, hac vi-  
 ce ex tenebris reducere atque paucis illustrare.

Numburgensis certe & Cizensis monetæ creber  
 olim fuit usus frequensque mentio. Sic in chronico  
 Portensi (a) ad ann. MCCLXVIII. *Godefridus  
 Nosocomus monachorum dedit rusticis pro parte commu-  
 nionis, vinum, cerevisiam & alia quæpiam, quorum esti-  
 matio pensata. XXIII. NVMBURGENSIVM SOLI-  
 DORVM valore.* Plura suppeditare possent literæ  
 diversæ foundationum, donationum, concessionum &c.  
 quæ forte in archivo hujus Episcopatus servantur. Sed  
 paucis in præsentibus contentus, ex monumentis illis re-  
 fero seqq. Anno MCCLVIII. Theodoricus secundus  
 dedit monasterio Bosaugiensi privilegium confirmati-  
 onis de duobus mansis in villa Gladiz sitis, XXV. soli-  
 dis CIZENSIS MONETÆ & XIV. modis ejusdem  
 civitatis mensuræ, quos pro XXXIII. marcis argenti  
 Butzaviensi ecclesiæ Conradus Abbas comparavit titu-  
 lo

(a) *Justini Pertuchii cap. 3. p. 113.*



lo-emptionis. (a) Anno MCCLXXVI. Meinherus, Episcopus Numburgensis, talentum CIZENSIS MONETÆ Capellæ Johannis & Pauli contulit. Anno MCCCIII. Bruno, Episcopus Numburgensis, dedit Ecclesiæ Numburgensi unum talentum DENARIORVM CIZENSIVM, annui census pro certa summa pecuniæ. Anno MCCCIV. Vdalricus Episcopus in privilegio quodam refert VII. mansos, solventes annuatim XXXIX. solidos denariorum usualium dativorum. (b) Anno MCCCIV. Idem Episcopus dedit ecclesiæ Numburgensi  $2\frac{1}{2}$  talenta denariorum annui census in MONETA CIZENSI. Anno MCCCXX. Henricus Episcopus in privilegio confirmationis mentionem facit MONETÆ SVÆ IN CYCE. (c) Fuerunt autem hi denarii, quorum in his diplomatibus mentio facta, non alii quam bracteati illi, de quibus tractationem præsentem suscepi. Qui vel ob illam quoque rationem denarii nomine venire possunt, quod deni illorum, præsertim si major pecuniæ summa vel solvenda vel accipienda erat, inter se fuerint compacti, prout hodiernum testes sunt illi, quos ex terra eruimus vel alibi repositos invenimus. Licet nuper demum, ex literis CL. Olearii didicerim, prope Lipsiam in pago Zwenfurth mense Majo anni currentis plures bracteatos in vase fictili fuisse inventos, quos inter non deni, sed quaterni, ita erant compacti, ut propter plicaturas quatuor, in margine factas, non potuerint non coherere. Nihilominus tamen illud frequentius obser-

B 2

va-

(a) Paul. Lang. Mon. Chron. Citiz. p. 807. ex edit. Jo. Pistor.  
 (b) Lang. l. c. p. 821. (c) Lang. l. c. p. 828.



✻ (12) ✻

vatur, hoc rarius. Sed quicquid de eo sit, forsan cum his denariis conveniunt solidi Numburgenses ante memorati, dum hos cum illis confundere insolens non esse notavit Hachenbergius. (a)

Potestatem hanc signandi argentum sine dubio acceperunt Episcopi Numburgenses ab Ottone I. hujus Episcopatus conditore, quem aliis quoque præsulibus eandem concessisse, ob rationem supra allatam, aliunde nobis constat. Illam posterioribus quoque temporibus factam rectamque viderunt Episcopi. Præter alia enim dignitatis momenta per Imperatorias literas & illam monetæ cudendæ prærogativam habuerunt sibi concessam, firmatamq; adhuc habent. Loquuntur id acta publica, ad quæ provocavit Julius Pflugius apud Hortlederum : (b) Und werden folgend Erb / Münze und viel andere ansehnliche Stücke der Regalien unterschiedlich gesagt. Indem / das in Keyser Sigismundi confirmation und Schirm-Brief / solche auch berührt und begriffen sind ic. Eadem privilegia confirmata voluit Carolus V. literis ad Electorem Jo. Fridericum (c) pro J. Pflugio ; quem admodum illa & hoc seculo a Potentissimo Leopoldo I. Reverendissimis hujus Episcopatus Administratoribus denuo concessa scimus. Et quis nescit Nic. Amsdorffium Episcopum, Julio Pflugio ab Electore oppositum, minime negligentem sui juris, quod habere se credebat, varias monetæ formas, quas tamen Episcopo dignas non judicamus, cudi fecisse, nemine contra-

(a) l. c. §. 15. p. 367. (b) de bell. Germ. Tom. I. lib. 5. cap. 31. p. 2332. seq. (c) Hortleder l. c. cap. 20. p. 2366.



tradicante. Unum latus exhibebat caput Cardinalis, quod in verſum ſi fuerit, morionis caput erat, cum inſcriptione: EFFIGIES CARDINVM MVNDI. In altero latere habentur ſequentia verba: EFFEOMI-NATI DOMINABVNTVR EIS. (a)

Verum ad antiquiora nos convertentes, hos primo loco exhibemus numos:



Major hic minoresque numi ſunt Numburgenſes Epiſcopales. In illo tempus rerum edax literas nobis reliquit ſequentes: **N V W O B I**

ſupplendas per NVENBVRG. Firmamur in eo ex numo minori, ubi expreſſe legere eſt NVWENB. Utrumque autem habent diplomata. Tertius cum hoc idem eſt, niſi quod inſigne ſit rudius & literæ tam diſtincte non appareant. Secundus poſſeſſorem agnoſcit Excell. Dn. D. Wedelium, me vero primus & tertius.

B 3

Nil

(a) Hortled. l. c. lib. 4. cap. 47. p. 1813.




Nil nisi insigne episcopatus gladium & clavem in decussim trajectos referunt hi numi. Quemadmodum vero clavis ecclesiasticæ potestatis character est: sic gladius adjectus temporalem notat jurisdictionem, quæ jam diu est, quod penes Episcopos in Germania fuerit, ut acta publica testantur. Nec obstat, quod alias extra & post scutum adhibeatur gladius ad notandam illam dignitatem; cum parmulae insertus si non majori tamen pari jure idem signabit. (a) Verumenimvero etsi hæc ita se habeant, videntur tamen illa potius communia esse omnibus Episcopatibus, quibus utraque potestas est concessa. Quamobrem hac opinione penitus non rejecta, forsan proximiorum adhuc investigare nobis licebit rationem, ob quam gladium clavemque gerant numi. Nim. Cathedrale Templum Numburgense in honorem PETRI & PAVLI constructum fundatumque novimus, prout vel ex unica, quam sub jicio, bulla pontificali constare potest:

*INNOCENTIVS* Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri, Episcopo & dilectis Filiis capitulo NEMBURGENSEI salutem & Apostolicam benedictionem. Licet is, de cujus munere venit, ut sibi à fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de abundantia Pietatis sue, qua merita supplicum excedit, & vota benevolentibus multo majora retribuatur, quam valeant promereri; Nos tamen desiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei qualesquibusdam illectivis premiis, Indulgentiis videlicet, & remis-

(a) Vid. Dn. D. Phil. Jac. Spener. part. spec. Oper. Herald. prolegom. p. 27. provocantem ad Franc. Menestrier.



remissionibus invitamus, ut reddantur exinde divina gratia aptiores. Cupientes igitur, ut Ecclesia Vestra in honorem Beatorum Apostolorum PETRI & PAULI fundata congruis honoribus frequentetur, omnibus vere poenitentibus & confessis, qui Ecclesiam ipsam in festo eorundem Apostolorum singulis annis venerabiliter visitarint, de Onnipotentis Dei misericordia, & Beatorum PETRI & PAULI Apostolorum ejus auctoritate confisi Quadraginta dies de injuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani X. KL. Martii, Pontificatus Nostri Anno Undecimo, id est anno MCCLIV.



Cum ergo templum illud Petro & Paulo dicatum sit, & sigillum summe Reverendi Capituli Numburgensis itidem habeat imagines Petri & Pauli, commodior forte non erit explicatio, quam si dicamus in numis exhiberi Pauli gladium & Petri clavem, non tamen exclusa ratione supra adducta. Quemadmodum alia ecclesiae, quae soli Petro sacratae, etiam clavem solam

mon-



monstrant, si adspicias Episcopalia insignia Bremensia, Wormatiensia, Mindensia, Brandenburgica & Abbatum S. Haimerani & Petershusæ. Præferunt quidem Episcopatus Numburgensis civitates, Ciza & Namburgum, gladium quoque & clavem, non tanquam principale insigne, verum commune, quo indicatur eas esse urbes Episcopales, nihilominus adhuc per aliud, quoddam proprium ab aliis discernendum. Quemadmodum Numburgensium sigillum præter istud præcipue exhibet imaginem galeati Wenceslai I. Martyris Bohemici, in cuius honorem templum oppidanum extructum est.

Præterea & illud occasione hujus Bullæ notare iubet, quod pro more illorum temporum, cujus initia Dominicus Rainaldus (a) ad medium fere seculum XII. refert, imagines Pauli & Petri plumbo appositæ (quo bullandi officio olim fungebantur duo Fratres conversi ordinis Cisterciensis, qui ea de causa *Fratres de Plumbo* audiebant) (b) eum servant situm, ut Paulus dextras, Petrus vero sinistras occupet partes. Talis pictura antiqua Numburgi quoque in introitu Templi cathedralis versus Orientem conspicitur. Hoc alii putant errore factum, & sculptorum ignorantia: alii a græcis pictoribus profectum, in Paulum propensioribus: nonnulli quod digniores ad lævam collocarentur, sic viri in locis sacris, minus digni ad dextram, Turcarum hodierno more: subtiliores, quod Paulus ita Petri latus tegat & claudat, quemadmodum quos Laterones

*ut nonem  
icem, a Luca tra  
facta, Saulum  
exhibente, perse-  
stem Christianos*

(a) ap. L. Allat. de eccl. Occ. & Or. perpet. consens. lib. 1. cap. 6. p. 88. (b) vid. Domin. Macri Hierolexicon p. m. 93.



vocant : plures factum Petri modestia ac humilitate, dextram in ecclesia sua Paulo deferentis, ut solent domi magnates deferre inferioribus : alii, expressum sic officium dextrationis, quo dextram Petri sustentabat Paulus, ut Pontificis deinceps Reges & Imperatores in signum obsequii : Allatus id ex Eotholarum Basilicarum dispositione ortum, a Græcis Romam illata, quibus quod dextrum est, sit Latinis sinistrum ; quas conjecturas prolixè adduxit Leo Allatus capite citato. Sed quodcunque tandem fundamentum habeat Apostolorum illorum locatio, eandem quoq; in insignibus accurate expressam fuisse observamus, cum gladius in tribus numis, si principia Heraldica sequamur, dextro ponatur loco, & clavis sinistro.

Insigne hoc ab Ottone I. Imper. vel ex toto vel ex parte accepisse Episcopatum Numburgensem ex eo colligo, dum Lehmannus (a) illi attribuit, quod pene omnibus cathedralibus ecclesiis una cum dominiis temporalibus propria insignia perpetuo deputaverit. Et sine dubio postea in translatione sedis à Conrado II. illud confirmatum fuit vel etiam auctum. Rudior majoris numi typus & literæ paulo antiquiores faciunt ut credam, illum fuisse usum circa tempora ista, quibus sub Hillevardo Episcoporum quarto circa annum MXXV. sedes ecclesiæ Cizensis cum titulo translata fuit in Nuenburg. Cujus causam ignorans Paulus Langius (b) admiratur factum illud : *Cum enim a digniori consuevit fieri denominatio, antiquitas autem dignior sit quam novitas, juxta illud juridicum, qui*

C

prior

(a) Chron. Spir. lib. 4. c. 3. (b) Chron. Cizensis. p. 771.



prior est tempore, potior est jure; Ecclesia autem Cit-  
 zensis multo prior cum sit foundationis tempore; meri-  
 to prioritate & sua antiquitate tituli dignitati perpetim  
 venerari debuisset. Miror ergo, cur ei hac dignitas per  
 tituli sit ablata translationem & Nuenburgensi attribu-  
 tus, ut nunc passim communiterque Nuenburgensis, raro  
 vero aut nunquam Citzensis appelletur Episcopus: licet  
 ipsa curia Episcopalis haecenus apud matrem Citzensem  
 duravit etiam cum residentia, & quorum ipsa viventi-  
 um fruitur cobabitatione, illa mortuorum sepultura gau-  
 det. Quemadmodum enim titulus, ita & sepultura il-  
 luc est traslata tametsi non adeo usq;. Quia cum sit li-  
 bera, plerique maluerunt praesulum in matrica Citzensi,  
 quam filiali Nuenburgensi quiescere Ecclesia. Hujus ita-  
 que mutationis causam eatenus aliam invenire non potui,  
 quam (ut reor esse factum) quod Ecclesia Nuenburgensis  
 situ amœnior, divitiis crassior, rebus opulentior, benefi-  
 ciis copiosior, clero numerosior, cantu clamosior, potu de-  
 licatior & emporio sive annuis famigeratior celebriorque  
 sit nundinis: & eas obres matri filia, junior seniori  
 prelatata, illa dignitate adornata fuerit. Non tamen id-  
 circo prior vel gloriosior, imo ut & minor & posterior, ita  
 & obscurior censerit debet. Sic bonus ille monachus  
 amore Citzensis ecclesiae, cui proximior erat, invehit-  
 tur in Numburgensem, cum tamen utrique suus sem-  
 per illibatus manserit honos. Sed hæc saltem mea sunt de  
 numi majoris antiquitate conjecturæ, fundatæ præcipuè  
 in puritate argenti & hujus fere consumptione ex longo  
 temporis spatio. Alias observavi, & typi ruditatem ta-  
 lesq; literas rediisse inferioribus quoq; seculis. Minores

au-



autem illi numi videntur magno demum intervallo ab isto majori aetatis ratione distare.

Proximus Episcoporum numerus est sequens, quem ipse possideo;



DITERT EPSCOP id est DITERICVS sive THEODORICVS EPISCOPVS Citizenis Ecclesiae nonus ab anno MCXI. ad annum MCXXIII. *Vir fuit apostolicus & apprime doctus, integerrima vita & conversationis sancta, Deo & hominibus acceptissimus & gratissimus, summus dei cultor & Zelosus orthodoxae fidei propugnator, strenuusque ac rigidus sacrorum canonum defensor & potissimum contra simoniacos, nec non schismaticos, qui suo tempore Christi turbabant scindebantque ecclesiam, turris validissima.* Quod iudicium Paulus Langius (a) Monachus ex antiquorum historiographorum, utpote synchronorum ipsius, chronicis & historiis depromsit. Fundator hic est coenobii Bosaugiensis, quod non longe distat a pomœriis oppidi Citizenis in colle, & ab eo basilica ornatum fuit. Sed eadem basilica, quæ

C 2 il-

(a) l. c. p. 781. conf. historiam foundationis Monasterii Bosaugiensis à Madero Chronico Montis Sereni subiectam p. 284. sq.



illum paulo ante viderat duo altaria consecrantem, brevi post ante principale altare in oratione procumbentem a nobili quodam ex gente Soraborum, Bennone, converso sed revera perverso, latenter cultello perfossū habuit. Hic ipse est, quem hic bracteatus admodum rarus exhibet sedentem, manu dextra pedum episcopale, sinistra vero clavem, sedis episcopalis insigne tenentem, & capite mitra bicorni ornatum, secundum observationem Joach. Vadiani, (a) sequentem in modum scribentis: *Id postremo nemini mirum videri debet, quod in antiquis illis Francicis & Alemannicis numis puris putis (cum moribus enim postea numisma vitiatum est) Episcopos cernimus mitra bicorni & pedo insignes: Abbates autem inferne barbatos, superne ramos (nulla tum Abbatum mitra erant): Abbatissas velatas Regum munere. Majora enim his dedissent religioni principes illi non pietate modo, sed nobilitate etiam & liberalitate commendati, si constantem eam & certam Canonici & monachi professi fuissent. Quod autem elegerim Dietericum I. præ Theodorico II. qui sedere cœpit anno MCCXLV. & postea campanam maximam Erfurti pro sæculi illius more anno MCCXLVII. consecravit, (b) quique falso a multis dicitur sepultus Posavii, (c) & numi antiquitas & typus, illis temporibus conveniens, a me exegit.*

WIC.

(a) l. c. p. 30. (b) Lang. l. c. p. 803. (c) confundunt enim primum cum secundo Dieterico. Ille Posavii sepultus hic autem Numburgi. Lang. l. c. p. 802.





WICMANNVS I. forsan fuit E. litera initialis Episcopi.  
WICMAN. reliquæ literæ non amplius apparent in nu-  
mo secundo. WICMANNVS DEI. forte EPI  
id est, Episcopus. WICMAN.

Unius Episcopi diversi hi numi diversis in locis  
asservantur. Primus est in Cimeliario Arnstadiensi,  
Illustrissimi Comitis in Schwarzburg, alter in biblio-  
theca ampl. Senatus Lipsiensis, tertius in museo Max.  
Rev. Dn. Olearii Superintendentis Arnstadiensis, &  
quartus in rariis Dn. D. Redelii Hallensis.

Wichmannus hic est filius sororis Conradi III.  
Marchionis Misnici, (a) comes Bavaricus, vel se-  
cundum alios, Geronis Comitis Seburgici filius, (b) qui  
postquam paucos annos, ab anno scilicet MCXLVIII.  
ad annum MCLIII. ecclesiam Cicensem rexisset, a Fri-  
derico I. Imp. ad Magdeburgensis ecclesiæ Episcopum

C 3

eve-

(a) *Fabric. Or. Sax. lib. 5. p. 541.* (b) *Dresser. Mill. VI. part. 2.*

P. 257.



euectus fuit, reclamante licet Eugenio pontifice Romano. Nulla illius fit mentio in catalogo Episcoporum Numburgensium apud Langium in chronico Cicensi, quod ab initio ob id factum putavi, quia brevi tempore sedit & in hac statione supremum non obiit diem; sed cum postea observassem sub Vtone L. Wichmannum nominari a Langio (a) *præsulem gloriosum de alto & palatino genere procreatum*, ab eodemque provocari ad infra dicenda, ubi tamen ingens est saltus ab anno sc. MCXXXII. ad annum MCLXXXVI. (b) & tandem dum obitum illius commemorat (c) benefactor Cœnobii Bosaviensis eximius illi audit, verum esse deprehendi, quod B. Sagittarius existimavit, per temporum injuriam nonnulla ex hoc luculento scriptore excidisse. (d) Nummos quatuor eosque diversos producimus, quos illi deberi arbitramur. Adest mitra bicornis, licet non eodem modo in omnibus expressa, & pedum, episcoporum insignia certa. Reliqua in nummis Episcopalibus variari solent. Non enim semper integra Episcopatus insignia exprimi debebant, si præcipue monetæ valor intra Episcopatus ditiones restringebatur. Hinc Episcopi altera manu vel crucem gerunt, vel aliud quid. Wichmannus noster, in tribus nummis dextra, ut videtur palmæ ramusculum gerit, in uno autem sinistra tenet vel librum Evangeliorum vel integra Biblia. An palmam propterea quod (contradicente licet Eugenio pontifice) Epatum atque sic victoriam obtinuerit? quamvis in aliis episcopo.

(a) p. m. 786. (b) p. 788. seq. (c) p. 795. (d) in historia  
Episcoporum Numburgensium p. 18.



scoporū nummis eandem quoq; observaverim, ubi hæc ratio locum habere non potest. In primo ad latera ponuntur turres duæ, & in secundo quinq; circa caput, dominium, potentiam, & majestatem, ut alibi monuimus, indicantes. Eam autem cum Æpiscopatu accepisse, quis dubitabit? Hinc suspicor, quosdam ex his nummis & præcipue duos illos majores cum turribus non in Episcopatu Numburgensi sed Magdeburgensi fuisse cusos. Certe huc respicere videtur Dresserus (a) scribens: *Diœcesin multis oppidis auxit. Primus esse dicitur, qui monetam majorem euderit. Bella quoque gessit, bonaque per illud parta capitulo adjecit.* Intelligenda hæc sunt de diœcesi Magdeburgensi, ubi minori monetæ substituit vel addidit majorem. In Numburgensi & Cicensi diœcesi majorem illam jam fuisse, ex superioribus constare credo. Denique si vera est fabula de proculcatione Friderici ab Alexandro III. superbe patrata (de qua videantur autores, qui pro utraque parte scripserunt) (b) idem noster Wichmannus, Fabricio teste (c) autor fuisse dicitur Friderico, ut pontifici supplex fieret.

EN-

(a) l.c. p. 105. (b) ap. B. Sagitt. introd. in Histor. Eccles. cap. 24.

S. 39. p. 630. seq. (c) lib. 5. Orig. Sax. fol. 543.






ENGELHARD & ENGILHARD EPC. id est  
 Episcopus, qui Bertholdo ultro se Episcopatu abdi-  
 canti anno MCCVI. successit. Uterque servatur Arn-  
 stadii in Cimeliario Illustrissimi Dn. Comitis, & mu-  
 sæo laudati Dn. Superintendentis. Cultor fuit Dei &  
 Mariæ devotissimus. Terram sanctam visitavit, & jam  
 annis ac ætate grandævior Romam venit. (a) Refe-  
 rente Dressero (b) accepit ab Henrico Marchione Misniæ  
 & Duringiæ Landgravio, qui cognominabatur Ham-  
 mer, multa privilegia anno 1238. Vicissim vero contulit  
 Marchioni feuda Haini, Ortrantii, Strelæ, Dalæ, Oscha-  
 tii, Grimmæ, Smolini, Rutleizberg (vel potius Ru-  
 delsbrunn) & aliorum oppidorum, & arcium, item deci-  
 mam. Ex hoc vero male colligit Dresserus & cum eo  
 alii, primum hunc fuisse patronum seu defensorem ec-  
 clesiæ Numburgensis, ut præeunte Dn. Schiltero opti-  
 me notavit. B. Sagittarius; (c) licet rectius dici que-  
 at, jus illud protectionis renovatum fuisse datis novis  
 feudis. Nam anno MCXXXIII. jam pactum de prote-  
 ctione ecclesiæ Numburgensis factum inter Conradum  
 Mar-

(a) Lang. l. c. p. 796. (b) loc. c. p. 258. (c) in histor. Ep.  
 Numb. p. 22.



Marchionem Misniae & Udonem Episcopum, in quo Episcopus quaedam beneficia pro protectione illi contulit, confirmante hoc pactum Conrado III. Imper. anno MCXLIV. Ab hoc Conrado Marchione deinceps jus protectionis translatum est in ejus successores. Hinc ejus filius neposque Dedo & Conradus in documentis de an. MCLXXXV. & MCCVI. nominantur *Advocati ecclesiae Numburgensis*. Sed ut redeamus ad Engelhardum nostrum, insignitur is in priori nummo mitra episcopali, quæ in altero ignorantia an incuria artificis accurate expressa non est. Videmus episcopale pedum & crucem, quam nunc hac nunc illa manu gestat. Habitus ei plane episcopalis non est, quod iterum illorum temporum ruditati adscribendum esse putamus. In limbo utrobique quatuor sunt circelli, qui sine dubio non ex necessitate, alias omnes illis gaudere deberent, sed ornatus gratia adjecti sunt, ut ex collatione aliorum nummorum patere potest.



Hi duo nummi suspensum me relinqvunt, cuinam Episcopo tribui debeant. Alter enim, qui est in cimeliar-  
 D chio




chio Arnstadiensi, hæc habet CICE HENGI. Ubi alio  
 cui dubium oriri posset, annon hac ratione legi debe-  
 at HENGI CICE id est HENRICVS CICENSIS,  
 qui anno 1317. sedere cœpit. Sed cum nulla ad-  
 sit nota distinctionis, vel spatium inter CICE & HEN-  
 GI, & præterea, quod præcipuum est, illis tempori-  
 bus non amplius in diplomatibus (atque sic etiam in  
 nummis) moris fuerit Cicensem se scribere Episcopum  
 sed semper Nuemburgensem; hinc cogor potius legere  
 CICEHENGI id est CICEHENSIS sc. moneta,  
 cujus toties passim mentio fit in diplomatibus. Non  
 inusitatum autem tunc temporis fuisse, ut litera aliqua  
 inferatur in terminationibus vocum in ENSIS, ex Pe-  
 gaviensibus nummis Siffridi infra constabit, ubi itidem  
 PIGOVIENI pro PIGOVIENSIS legitur. Ut  
 ergo hic literam G insertam observamus, sic illic H;  
 Accedit quod incuria artificis SI permutatum sit cum  
 GI. Ceterum Episcopalem nummum esse monstrant  
 insignia, mitra cum pedo & cruce, quibus ornatus est  
 episcopus, sine tamen veste episcopali. Idem in lim-  
 bo ostendit circellos istos, de quibus antea.

Alter cum aliis Cicensibus numis inventus, insi-  
 gnia habet episcopatus Nuenburgensis clavem & pe-  
 dum, quæ supra Dicitur quoque monstravit, licet mi-  
 tra debito modo non sit formata, quam tamen similiter  
 in aliis rudioribus numis, ex quorum numero hic no-  
 ster est, aliquoties deprehendi. In limbo apparent  
 quædam literæ, quæ si non sunt M. N. M. N. & deno-  
 tant Monetam Nuenburgensem, nescio qua ratione,  
 explicari debeant. Nisi quis dicere malit literas esse  
 ini-



initiales MEINHERI Numburgensis Episcopi. De utroque judicent alii, Oediposque agant.

Tandem se nobis offerunt duo numi



quorum alter exhibet literas seqq. TEODERICV MARCH : & in bibliotheca ampl. Senatus Lipsiensis servatur; alter in rarioribus Generosi Dn. Timæi Cancellarii Cöthensis ostenditur & legitur MARCHIO TEO D.G. GRACIA, id est Marchio Theodericus Dei Gratia. Nam litera G sine dubio esse debet E. & I. post Gratia non denotat unitatem, sed supplementum est Dei; quam artificum ruditatem in aliis quoque numis deprehendimus. Coævus fuit Engelhardo Episcopo, cujus supra mentionem fecimus. In privilegio quodam confirmationis, quod monasterio Bosaugiensi datum fuit, (a) a Friderico II. appellatur *charissimus princeps noster & consanguineus noster Theodoricus Misnensis & Orientalis* (b) *Marchio*. Advocatum eum fuisse prædicti monasterii legimus. Langio (c) enim dicitur *pro tunc advocatus noster*: & in diploma-

D 2

tibus

(a) Lang. l.c. p. 798. (b) cur orientales quidam dicti fuerint, vide ap. Albinum com. nov. de Misnia p. 379. seq.

(c) l. c.



tibus sæpe observamus illum in numero testium nomi-  
nari *ecclesie advocatum*. Non parum quoque de eo  
gloriatur Langius, (a) quod olim habuerint advo-  
catos Marchiones. *Quorum* (bonorum) *copia* & *præ-*  
*stantia* ex eo quoque claret, illorum quod pro conserva-  
tione eo tempore advocati monasterii excellentes & sum-  
mi extiterant viri, utpote marchiones & comites præcla-  
ri & strenui. Est quidem vulgare dictum: magna  
ales magnum requirit nidum; cui & illud sapientis con-  
sonat dictum: Ubi multæ opes, multi & qui come-  
dunt eas. Verum nunc extenuatis rebus, minoratis &  
opibus, ad minimos quoque advocatos tenendos defecimus;  
ut qui quondam ob rerum copiam marchiones (ut dictum  
est) comitesque necessarios habuimus, nunc moriones &  
viles quoque homunciones, dummodo jurisperiti fue-  
rint, ad præfatam advocatiæ dignitatem assumimus.

Marchio hic pro remedio animæ suæ XL. agros  
Alberto abbati de Puzovve & monasterio proprietatis  
jure possidendos perpetuo tradidit. Anno MCCXVII.  
cum Friderico Cæsare ad recuperandam terram san-  
ctam navigavit. Sequentem autem anno cum audita mor-  
te fratris Alberti, sine hærede defuncti, ad propria re-  
dire festinaret, (b) adeo insidiis Imperatoris pre-  
mebatur, ut navim non fuerit ausus palam ingredi.  
Quare clam in utrem inclusus, longeque per mare tra-  
ctus, tandem in navim positus, evasit. Hanc molesti-  
am propter fodinas in Friberg passus est, quibus idem Im-  
perator inhiabat. Denique etiam modis omnibus am-  
bienti, ut ipse ecclesie Pigaviensis advocatus eligeretur,  
Siffri-

(a) p. 782. (b) Idem. l. c. p. 799. Fabric. Or. Sax. lib. 5. p. m. 563.



Siffridus Abbas, infra nobis memorādus, ei restitit. (a) Quo ipso ex fautore & amico abbatis in hostem mutatus, valde eum afflixit, multa & damna & injurias ei inferendo. Ad extremum ante castrum Groiz, quod ei hæreditario jure obvenerat, villam muniens, forum instituit, telonium & monetam, omnibusque provincialibus ab illa parte tam emere quam vendere volentibus ne Pigaviam pergerent, interdixit. Quæ tamen omnia postea autoritate sedis Apostolicæ, ad quam Abbas provocaverat, fuerunt sublata & dissidia sopita. Hic in primo numo stans totus apparet secundum veterem armaturam, quam eleganter describit chronici Colmariensis scriptor ad annum MCCXCVIII. *armati reputabantur, qui galeas ferreas in capitibus habebant, & qui Wambasia, sive tunicam spissam, ex lino vel stupa, vel ex veteribus pannis consutam, & desuper camisiam ferream, sive vestem ex circulis ferreis contextam, per quam nulla sagitta homo vulnerabatur.* Dextra tenet gladium, sinistra vexillum, quinque lineis distinctum. Altero, ut videtur, habitu sedet eodem quoad superiores partes, manu dextra ostendens lilium, sinistra vexillum. Sed satis de Numburgensibus & Cizensibus numis.

Pegavienses numos dum adgredior, certè digni illi judicabuntur ab harum rerum æstimatoribus, qui cum cura examinentur. Talia enim in illis deprehenduntur, quæ alii vix ostendent. Ut autem rem ab

D 3

ori-

(a) Chron. Mont. seren. p. 151. Fabr. l. c. p. 567.



origine repetam, monasterium Pegaviense (a) fundasse Wicpertum Marchionem Lusatiae, Burggrafium Magdeburgensem & Comitem Groizensem, puto notum esse. Hic vir bellicosus post multa patrata, mala æque ac bona, pro more illorum temporum, ex consilio Episcopi Magdeburgensis Romam ad limina Apostolorum abiit. Exinde missus fuit ad Patriarcham Hispanensem, qui ei suavit, ut templum in honore S. Jacobi, cujus Basilicam Cizæ cum Hagenone quodam eo fugiente combusserat, ædificaret, illincque famulantes Deo cõgregaret. (b) Wicperto Deo dante id se facturum promittenti, Patriarcha dedit reliquias, nim. S. Jacobi pollicem, eumque ecclesie reconciliatum absolutumque in pace dimisit. Domum reversus ad occidentalem plagam Bigaugiensis villæ cœnobium fundare statuit. Statim fervebat opus. Aderant anno MXCII. Hartvvigus Magdeburgensis Episcopus, Wolramus Cicensis, & Albuinus Mersburgensis Episcopi, ut loco considerato fundamenti & cœmeteriorum benedictiones darent. Ipse Wicpertus, suasu Episcoporum propriis humeris per duodecim angulos fundamenti, exemplo Constantini Cæsaris, totidem cophinos lapidum detulit. Quo facto suos tanto accendit laboris ardore, ut non sicut aliarum ecclesiarum fundatio mercenariorum fit labore, sed manu militari ac illis obsequentium instantia certatim procederet opus, ita ut intra triennium

(a) de etymo Pegavia vide Andr. Mollerum Pegavium Medicum erudite differentem in præfatione debiti parentalis. 1659. edit. (b) de fundat. Cœnob. Bigaug. qua chronico Monastis sereni subjicitur p. 245. seq.



nium usque ad cacumen turrium sine intermissione  
 assurgeret. Aedificiis perfectis cænobium à prædictis  
 & aliis Episcopis anno MXCVI. dedicatum fuit in  
 honorem *S. Trinitatis. S. Mariae virginis, sanctique Jaco-  
 bi Apostoli*, præsentibus Wicperto fundatore, filiisque  
 & uxore Juditha, filia Regis Bohemiae Vratislai coro-  
 nata. (a) Idem postea habuit cryptam Wipertia-  
 nam, in qua ossa Judithæ & Wiperti recondita per tot  
 secula mansere intacta. Ante hos vero annos viginti  
 & ultra, nescio quo fato, coeperunt distrahi. Qua oc-  
 casione factum, ut Max. Rev. Dn. Olearius, fautor no-  
 ster multis ab hinc annis æstimatissimus, vel invitus,  
 cum Pegaviae esset, acceperit Judithæ maxillam cum par-  
 te cranii, & de Wicperti brachio partem cum frustulo  
 sarcophagi Wipertiani. Hæc merito Vir, antiquita-  
 tum peritissimus, tanquam venerandæ antiquitatis *μνη-  
 μόνιον*, inter alia rariora reposuit & nuper demum  
 conspicienda atque contrectanda mihi transmisit.

Dedit autem Wicpertus huic monasterio pri-  
 mum Abbatem Beronem O. B. Et optandum esset, ut  
 continua serie Pegavienses omnes recenseri possent; sed  
 hæcenus illorum copia mihi data non fuit. Quamvis  
 enim cum cura illos conquisiverim, plures tamen mihi  
 non fuerunt oblatis, quam qui nunc nominabuntur. BE-  
 RO abbas primus A. C. MLXXXII. † MC. WYN-  
 DOLFVS. A. C. MC. abbatia se abdicavit MCL. †  
 MCLVI. HINRICVS. A. C. MCL. deseruit abbatis of-  
 ficiū MCLXIX. † MCLXX. RADEBOTO A. C.  
 MCLXIX. † MCLXXXI. ECKELINVS. A. C. MCLXXXI.

(a) De fundat. cænob. Bigaug. p. 248.



† MCLXXXIII. RVDOLFVS A.C. MCLXXXIII. †  
 MCLXXXV. SIFRIDVS A.C. MCLXXXV. † MCCXXIV.  
 HENRICVS monachus A.C. MCCXXIV. (a) CONRA-  
 DVS circa annum MCCXCV. (b) ALBERTVS  
 circa annum MCCCXXXIV. (c) JOANNES cir-  
 ca annum MCCCLXXV. (d) THOMAS circa annum  
 MCCCCLXXXV. (e) Nisi toties Vulcanū aduersum ex-  
 perta fuisset Pegavia, plures dare possemus. TIMO-  
 NEM infra adhuc adjiciemus ; sed quibus annis mo-  
 nasterium rexit, incertum est. Augebunt forte hunc  
 numerum cum tempore ipsi Pegavienses.

Numi illorum ad unum omnes eodem gaudent  
 schemate.



Crucem monstrant furcatam, quæ interiorē circu-  
 lum in quatuor distinguit spatia, quæ in aliis vel Epi-  
 scoporum vel abbatum numis nondum observavi. For-  
 san per illam, quia monasterium situm fuit in diœcesi  
 Mersburgensi, dein licet a potestate Episcopi exemptum,  
 deno-

(a) banc seriem debemus libro de fundatione cœnobii Bigaug. pag.  
 247. seqq. (b) Lang. l. c. p. 815. & 819. (c) B. Adr.  
 Beyer. in Archit. Jen. p. 456. (d) ex cata logo MStorum  
 Lipsiensium a B. Fellerio edito p. 365. (e) Lang. l. c. p. 875.



denotatur crux aurea, quam dederat Carolus M. canonicis Regularibus, referente Brotuffio, & postea Otto I. Episcopis confirmaverat. (a) A Caroli M. autem & Ludovici temporibus (ut de Græcorum numis nunc nihil dicam,) in usu jam fuit cruce insignire monetam, ab initio quidem sine aliis characteribus, postea vero quibusdam vel ornamentis vel insignibus intermediis, quemadmodum hæc iterum notare possumus in tabulis Spelmanni, Ælfredi Regis vitæ additis. Non minus eam, præeunte Carolo du Fresne, (b) deprehendimus in Regum Franciæ ut & Baronum & Episcoporum numis, eo tamen cum discrimine, ut interdum uno in angulo, interdum duobus, nonnunquam omnibus quatuor angulis aliqui exhibeantur characteres. In nostris autem primo se offert caput, quod Abbatis esse arbitror. Supra enim, cum de Dietrico Episcopo Numburgensi ageremus, ex Vadiano monuimus, in antiquis Alemanicis numis puris putis, id est, bracteatis *cerni Abbates inferne barbatos, superne rasos* (nullæ tum Abbatum mitræ erant.) Id quod præcipue in Siffredi numis adeo distincte notatur, ut nullum dubium superesse videatur. Nec illis temporibus, in Germania præcipue, Abbates solliciti fuerant de mitris obtinendis; non quidem ex illa ratione, quam vult Pompejus Sarnellius, (c) monachos abbates ante undecimum seculum ne sacerdotium quidem, multo minus mitram, quæ regalis sacerdotii insigne Pontificiis appellatur, obtinuisse; sed quia sorte sua dignitateque contenti vixerant.

E

Alte-

(a) *Albin. com. nov. de Misn. p. 565.* (b) *l. c. Tom. 2. p. 618. 630. 634. 650.* (c) *epist. eccles. 3.*



Alterum autem, quod de Gallis addit, lubens concedo. Sc. ex quo anno MC. Paschali II. Pontifice Concilii Pictaviensis Patres decreverunt, ut *Abbates & Decani & Præpositi, qui presbyteri non sunt presbyteri fiant, aut prælationes amittant*, facillime hic illic quorumvis ordinum Abbates a Pontifice Pontificalium usum impetrasse. Vitio tamen id eis vehementer vertisse Sec. XII. Petrum Blesensem ac Bernardum, qui ep. 42. ad Henr. Senon. Episcopum, *Quis unquam inquit probatorum monachorum tale quid aut verbo docuit aut reliquit exemplo?* Cum vero deinceps magis secularia quam ecclesiastica, mundana magis quam spiritualia, ab iis quærentur, magno sæpe conatu dignitatem mitræ ambierunt. Anno MCCCXCHX. Hermannus ejus nominis secundus Bosaugiensis Abbas, teste Langio, (a) arrogantia & vanitatis afflatus spiritu aurum superfluum habens & inutile, Romæ & prece & pretio a summo Pontifice, egregioque simoniaco Bonifacio nono, ut & mitra sive infula pontificali uti, & benedictionem solennem certis possit dare temporibus, pro se suisque successoribus impetravit privilegium. Cui non potuit non Langius (b) addere illud: *vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Perquæ tamen non successorum præfulum insignibus utentium consuetudinem, ad inventi seu concessi privilegii conservationem, sed solum impetrantium curiosam vanitatem fugillare modeste voluit. Anno MCCCCXXVII. quo obiit Hermannus, eidem primo & grandis & sculptus lapis, per circumferentiam epitaphium, in medio autem imaginem

(a) Chron. Citiz. p. 846. (b) Lang. sc. p. 854.



mitratam ipsius praesulum more continens positus est. Ante enim illa tempora, prisci patres & venerandi Abbates, verae religionis & humilitatis sectatores, omnem pompam & vanitatem veluti religionis monasticae jacturam & excidium, vitare consueverant. Quamobrem fratrum instar simpliciter tumulati fuere, nisi quod ob memoriam posteris commendandam plumbilamen, & nomen eorum & diem obitus inaratum tenens, ad caput positum, cum ipsis plerumque sepultum fuerit: superiore tamen saxo raso, & (ut ita loquar) caeco planoque permanente.

In angulis sequentibus clavis & pedum sistuntur, dignitatis ecclesiasticae signa praecipua, ut supra jam ostensum fuit. Pedum quidem Episcopis & Abbatibus commune fuisse videtur, suffragantibus aliis numeris. Clavis vero hic additur, ut praeter potestatem ecclesiasticam, qua ornatum fuit hoc monasterium, imo etiam civilem, teste E. Brotuffio (a) indicetur exemptio illius a potestate cujuslibet alterius Episcopi, & quod unice dependeat a S. Petro ejusque successoribus. De hac Wicpertus anno MCVI. consilio Abbatis Wyndolfi sequens obtinuit privilegium: (b) *Paschalis Episcopus servus servorum Dei fidelibus per Saxoniam salutem & Apostolicam benedictionem. Desiderium &c. Wicpertus siquidem, Saxonicae gentis illustris Comes in Mersburgensi parochia, in loco praedii sui, quod Bigavia dicitur, monasterium &c. quod obtulit S. Petro &c. & Apostolicae sedi jus in perpetuum mancipavit: Advocatiam*

E 2

tiam

(a) in historia vita Wieperii. (b) in libro fund. caenob. Pegaug. p. 249.



*tiam tamen monasterii ipse habiturus exceptit.* Quo privilegio fretus abbas Sifridus, Ekkehardo Merseburgensi Episcopo, ab illo ob certum quendam casum petenti, ut tam in monasterio, quam in civitate celebrationem omitteret divinorum, respondit: (a) *Domino Ekkbardo Merseburgensi Episcopo Sifridus Dei gratia, Pegaviensis sal. pur salt. & una avant. i. e. salutem pro salute & una plus. Ex sicca & cruda salutatione vestra cognoscimus, quid de his, quae intrinsecus latent, perpendere debeamus. Sciatis autem non pro mandato vestro nos a divinorum celebratione cessaturos, cum ab omni Episcopi jurisdictione simus exempti, sed magis pro reverentia & dilectione domini Episcopi, cui nos semper fideles exhibere volumus & devotos.* His literis Episcopus quidem valde movebatur, factum ipsum tamen nunquam publicavit, nec tale aliquid deinceps tentavit. Etsi autem non in omnibus numis Pegaviensibus clavis, sed loco hujus crux conspiciatur; id vel ex industria factum putamus, vel interdum ex incuria artificis. Illud quidem, dum solenne quoque fuit Abbatibus praeter pedum in numis crucem proferre, ut ipsa diversorum numerum inspectio testatur. Hoc vero, dum clavem debite non expressit artifex, vel variare voluit, quale quid in Timonis numo primo observare dabitur. Ceterum & illud ad confirmandam hujus monasterii potestatem facit, quod ejus mentionem fecerit (referente Bucelino) (b) in catalogo Abbatum Imperialium, Fridericus III. Imperator, quibus jus ferendi suffragii in

(a) *Chron. Mont. seren. p. 133.* (b) *German. sac. Part. 2. p. 69. conf. Albinum in comment. nov. de Misnia p. 580.*



in comitiis imperialibus competebat. Quarto loco in  
 plerisque est lilium, quod cur additum sit, hactenus  
 investigare non valui, nisi ad generalia illa recurramus,  
 quæ habet Cyriacus Spangenberg (4) Gleich wie  
 die Lilien erstlich ihrer Gestalt halber schön und  
 weiß / darnach auch sehr lieblich an Geruch / und  
 leglich darneben gar nützlich zur Arzenei sind: Al-  
 so sollen auch diejenigen / so die Lilien in ihren Was-  
 pen haben / aufrichtige erbare Leute seyn / deren  
 Wandel gut / in dem nichts schwarzes falsches und  
 unerbares zu finden. Sollen ferner wie S. Paulus re-  
 det / ein guter Geruch seyn / das ist / ihr Leben Gott  
 zu Ehren und Wohlgefallen anstellen / daß er an ih-  
 ren H. Wercken / in Erkänntuß seines Sohns und  
 wahren Glauben / nach der ersten und andern Ta-  
 fel geschehen) ein lieblicher Geruch rieche. Sollen  
 endlich als heilwertige Gefäße und organa der Gna-  
 den darnach streben / daß all ihr Thun und Lassen  
 ihnen selber und andern zu nütz gereiche / damit von  
 ihnen nicht Schade / Beschwerde und Nachtheil /  
 sondern vielmehr alles gutes und Frommen zuge-  
 warten. Et tales omnino præ reliquis abbates esse  
 debebant, si eo respexit is qui monasteria huic insignia  
 concessit; profecto voluit, ut perpetuo officii sui hoc  
 signo monerentur.

scribitur contra pulchritudinem  
 cor ad regulares disciplinae observantiam  
 non inveniuntur eis reprobam  
 illi contra in eius odium inveniunt  
 mens cum electis

E 3 SIERI-

(4) Adelsp. P. 2. lib. 12. c. 46. p. 336.





SIFRIDUS Abbatiaē praesse coepit Anno MCLXXXV. & per annos XXXIX. sedit. Vir fuit strenuus, teste auctore chronici Montis - Sereni (a) & qui in multis ecclesiae suae cognoscitur profuisse maxime, in conservanda ejus libertate, tam in spirituali jure quam in seculari, pro qua re multis desudans laboribus, etiam vitae suae periculum non nunquam expertus, quorum omnium initia à falsis ejus fratribus constat pullulasse. Abbas enim factus eos ad regularis disciplinae observantiam coartabat, cogitans Deo se pro eis redditurum rationem. Illi contra in ejus odium incitati, nunc vi armata eum ejicere, nunc veneno non una vice tollere

cona-

(a) p. m. 144. ex edit. Maderi.



conati fuerunt. Ipse autem Deo privilegiisque suis fretus, animose omnibus restitit, fratribus æque ac Episcopis Merseburgensibus, & Marchionibus, qui advocatiam ecclesiæ Pegaviensis quovis modo ambierunt, quibus solo habitu & nomine interdum terribilis fuit. (a) Addit Fabricius (b) eum valuisse plurimum apud tres Pontifices: itaque non solum Principi (Dietrico sc.) verum etiam vicinis Præsulibus ne minimum quidem juris in se concessisse. Nam post Wicperti tempora advocatia illa immediate ad Imperatorem pertinebat, (c) nec jure feudi cuiquam conferri poterat, cum solus Abbas potestatem eligendi haberet, ad quantum temporis spatium voluerit, quemcunque sibi viderit expedire. (d) Quam libertatem Sifridus ecclesiæ suæ multis laboribus & expensis, primo a Friderico, postmodum a filio ipsius Henrico & denique a Friderico Henrici filio datis sibi privilegiis acquisivit. (e) Et licet post mortem Imperatoris Philippus Rex, contra privilegia hujus ecclesiæ, Tiderico Comiti de Summerschenburg ejusque fratri Conrado Marchioni advocatiam concesserit, & postea Tidericus Marchio Misnensis eandem nullo jure ambiverit, tamen autoritate sedis Apostolicæ munitus, Tiderici Marchionis præcipue conatus, quos supra adduximus, elusit. Ceterum nulli voluptati seu levitati deditus erat (f) Sifridus, quippe quem nec istis vac-

(a) Chron. Mont. seren. p. 147. seq. (b) Or. Sax. lib. 5. p. 568.

(c) Chron. Mont. Seren. p. 147. (d) conf. 1m. Christ. Franc. Paullini dissert. XII. de advocatia monastica. §. 5. p. 112. seq.

(e) Chron. Mont. Ser. p. 148. (f) Idem p. 153. seq.



care aduersitatum & negotiorum stimuli permittebant. Nam rebus utilibus semper intentus, licet interdum ab actione quiescens, dum agenda studiose disponeret, etiam in otio negotio non carebat. Habitus ei tam in forma, quam in genere cum subditis comunis erat, qui in nullo ab exemplari veterum discrepabat, ut videlicet seculi conformitatem prorsus abhorreret & religionem exprimeret & necessitati corporis non deesset, ut nec tegumento quidem capitis alterius modi, quam ex ovium pellibus ulus fuisse inveniatur. *Audiant queso hoc exemplum*, addit autor chronici Montis sereni (a) nostri temporis prelati, qui tot novitatibus, ut eas tadiosum & ridiculum sit enumerare, primi tamen habitus simplicitatem non solum ipsi corrumpere, sed etiam subditis permittere non verentur. *Qui et si pro Dei timore id non agant, tamen ut saltem prelatorum ad subditos manifesta esset distantia, miror cur eosdem subditos a talibus non comescant. Sed utinam nos solius habitus deformatio accusaret!* Translationi corporis S. Ottonis, Babenbergensis Episcopi interfuit (b) & MCLXXXVI. cum reliquias has Sifrido impetrasset, oratorium ex lignis in ejo honorem juxta civitatem Pigaviensem construxit, constructumque a duobus Cardinalibus, qui tunc apostolicæ sedis legatione in Germania fungebantur, dedicari fecit. Deinde paludem, in qua extructum erat, sumtibus magnis desiccans, circa ipsum templum coctis lateribus ædificavit, reditusque quantos poterat tempore opportuno loco ipsi acquirens, regulares in eo canonicos instituere intendebat, habens

(a) p. 154. (b) Idem p. 146.



ic hoc ex promissione summi Pontificis potestatem.  
 Idem forte erit hoc templum cum illo, cujus mentio-  
 nem fecit Langius: (a) *Fama est, S. Ottonem eo tem-  
 pore in dicto pago (Pega) mortuum suscitasse quendam.*  
*Cujus rei in memoriam & sancti viri honorem pariter &*  
*patrocinium parochialis constructa est ecclesia, ac supra fa-  
 to incorporata monasterio: que praesens & usque evum u-  
 na cum illius praepositura per fratres regitur monasterii.*  
 Andreas Mollerus quidem loco citato id, quod describit  
 monachus Bosaugiensis, Wiperto tribuit. Sed in textu  
 Langii non legimus a Wiperto illud esse constructum,  
 quod ille interuit. Accedit Wipertum jam decessisse  
 in monasterio Pegaviensi anno MCXXIV. cum S. Ot-  
 to demum obierit anno MCXXXIX. (b) *Quomodo*  
*ergo ante ejus canonizationem in sancti viri honorem*  
*pariter & patrocinium parochialis potuit construi eccle-*  
*sia?* Denique teste chronico coenobii Bigaugiensis, quod  
 data opera & omni cura Wiperti res persequitur, non  
 alia extruxit, post praedictum monasterium, praeter ca-  
 pellam Nicolao sacram (c) in Pega, monasterium,  
 Luczke, contiguum monasterio Bigaugiensis & eidem  
 subjectum, quem locum esse voluit parochiam omnium  
 circumjacentium villarum, (d) & consilio Ottonis  
 antea laudati monasterium in Reinsdorff. (e)

Plura Sifridi exhibemus nummos, nec mirum,  
 cum tot annos sederit. Eos inter primo se offert,

F nu-

(a) l. c. p. 762. (b) *vid. Siffrid. Presb. epit. lib. 1. p. m. 692. ex*  
*edit. Pistorii. (c) p. 247. (d) p. 249. (e) p. 250. adde*  
*Siffridum loc. cit.*



audum nomen sine dignitatistitulo, exhibens: SIFRIDVS: & habetur in Arnstadiensi Cimeliarchio, nec non in numophylacio Bosio-Sagittariano, quod ex ultima voluntate B. Viri hodie in publica hujus Academiae bibliotheca conspicitur. In secundo legitur: SIFRIDVS PIGAVGIENSIS. ABBAS. ap. Dn. D. Redelium. Tertius etsi insignia aliter proferat, plane eandem tamen inscriptionem sistit in musæo Generosi DN. Timæi. Quartus Gl. DN. Olearii transposita saltim inscriptione sic se habet: SIFRIDVS. ABBAS. PIGOVI-GENI id est Pigaviensis, ut supra jam monui. Quid autem quintus, qui quoque in laudato Cimeliarchio Arnstadiensi servatur, sibi velit: SIFRIDVS. OTTO. VINDOLV. ABBAS. nondum satis intelligo. An unus idemq; SIFRIDVS plura vel habuit vel assumpsit cognomina? Quod in catalogis & numis Episcoporum & abbatum insolitum. An forte numus erit memorialis, quem SIFRIDVS heri curavit in memoriâ S. OTTONIS, cujus translationi interfuit, & Wyndolff, cujus svasu Wipertus privilegium exemptionis a potestate cujuslibet alterius monasterio acquisivit? ita ut legere debeamus SIFRIDVS. OTTONI. VINDVLEO. ABBAS sacrum voluit hunc numum. Etsi enim non probem Spangenbergii sententiam, sine discrimine omnes bracteatos pro memorialibus habentis, tamen nec illud negare possum, quosdam in rerum gestarum memoriâ fuisse cusos. Neque hæc tria nomina abbates vel immediate se antecedentes vel sequentes denotare possunt, cum series abbatum, quorum quidem notitiam habemus, repugnet & in numo expresse ponatur Abbas, non Abbates. HEI





HEI † PIGO † ABB † id est HENRICVS.  
 PIGOVIENSIS. ABBAS. habetur hic numus in  
 Cimeliario Arnstadiensi. Duo fuerant Henrici in  
 serie Abbatum, qui quidem nobis innotuerunt, quo-  
 rum alter anno MCL. alter anno MCCXXIV. sedit.  
 Prior honorum contemptor, quamvis ab omnibus ama-  
 retur, cunctarumque rerum copia gauderet, tertia ta-  
 men vice conabatur deserere Abbatis officium, quod  
 etiam perfecit anno MC LXVIII. (a) Posterior ex Mo-  
 nacho Pegaviensi Abbas, SIFRIDI successor, ei autem  
 prorsus dissimilis. Monachis eum, quibus Sifridi  
 jugum videbatur admodum durum, laxiorem permi-  
 sit disciplinam. Unde & in electione eius tanta fe-  
 stinatione usi sunt, ut cum Abbas tempore noctis obi-  
 isset, ortum diei ad eligendum nullatenus expecta-  
 rent. Ipse quoque, ut gratum illis animum testare-  
 tur, officia ecclesie, ad quorum administrationem Si-  
 fridus eos non admiserat, statim distribuit, prout  
 vivente adhuc Abbate promiserat. Idem hic Hen-  
 ricum de Reekin, antea Montis-Sereni canonicum & a

F 2

Sifri-

(a) de fund. cœnob. Bigaug. p. 260.



Sifrido, die ante mortem tertio, novellæ S. OTTONIS  
 ecclesiæ præpositum constitutum, violenter iterum  
 ejecit, quem ante abbatis jussu ipse introduxerat. (a)  
 Huic puto deberi numum, quem exhibeo, ex typo,  
 literisque id colligens. In angulo inferiori bractea-  
 tus hic exhibet stellam, quam etiam in primo & tertio  
 Sifridi videmus. In eo autem noster ab illis differt,  
 quod stella globo sit imposta.



CVNRADVS Abbas Pigaviensis, cujus hactenus  
 nullam reperire potui mentionem, nisi in privilegio,  
 quod Fridericus Marchio Misnensis & orientalis de  
 Landsberg, cœnobio Bosaugiensi contulit supra pro-  
 prietatem in villa Dipelsdorff & super mansis, sitis in  
 Villa Werbene; cujus rei testis adducitur anno M  
 CC LXXXIX. (b) quemadmodum & in alio privilegio,  
 quod Bruno Episcopus Numburgensis anno MCCXCV  
 dedit prædicto cœnobio super duos mansos sitos in Tre-  
 beniz, inter testes primo loco adducitur (c)

TIMO

(a) Chron. Montis Serini p. 156. sq. (b) Lang. l. c. p. 815.

(c) Idem l. c. p. 819.





**TIMO. PIG. ABB.** id est, Timo Pigaviensis Abbas. **Et V TIMO ABBAS PIGOVIE** id est, V Timo Abbas Pigoviensis vel Pigovie. Uterque, ni fallor, servatur in Cimeliario Arnstadiensi. Ad quæ tempora hic referri debeat, nondum mihi constat. Ad annum enim MCCXXIV. continuam habemus seriem, quæ dein fit hiulca. Post illum autem annum quo loco sit ponendus, hætenus colligere non potui. Ex eo quippe tempore, quo Mauritius, Elector Sax. anno MDXLV. Senatui Pegaviensi monasterium vendidit, & bibliothecam, quam olim collegerant Abbates, Lipsiensi Academia & Scholæ Portensi donavit, ipsi Pegavienses exiguam de rebus his notitiam habent. Hoc tamen iterum confirmare possum, quod supra de utilitate studii hujus monui, multa posse ex bracteatis colligi antea nondum nota, perdita restitui, & jam cognita firmari. Facit enim hic ipse numus, ut catalogus abbatum Pegaviensium augeri queat.

Quid deuique litera V. alteri numo præfixa velit, iterum in aprico non est. Forsan honoris dignita-



tisque titulum denotat? Hunc ergo si cogito, ex Pon-  
 tificum bullis constabit, abbatibus non alio salutari titulo,  
 quam *Filiorum Dilectorum*. Ipsi abbates hoc nomine or-  
 diuntur suas chartas, e. gr. *Dei gratia Henricus*. Ab aliis  
 vero, Pontifices si exceperis, diversimode in literis  
 compellantur. Nunc enim *Domini*, nunc *Archangelus*  
 nunc *Venerabiles* audiunt. Observante Jo. Ludov. de  
 la Creta S. I. (a) Casarius lib. VII. cap. XXIII. *Eo-*  
*dem tempore veniens Vercellas ad domum ordinis nostri*  
*Dominum Walterum, quandoque magistrum suum, &*  
*tunc noviter conversum, modo abbatem Vilariensem,*  
*ibidem reperit & salutavit. & cap. 21. Cum nihil apud*  
*nos sciretur, Theodoricus de Lureche monachus noster*  
*accedens ad abbatem nostrum Dominum Henricum,*  
*conquestus est ei. Et Fulbertus Odilonem Archangelum*  
*appellat epist. LXVI. Excepto illo sancto Monachorum*  
*Archangelo Odilone, cui me in nullo comparare presumo;*  
*& postea. Sed hac unum tandem ap. vestram benigni-*  
*tatem deprecor, ut cum nostrum Archangelum vice no-*  
*stra salutaveritis cum simplicitate monastica hilaritatem*  
*angelicam, que vobis preesto est, induatis. Et in transla-*  
*tione ejusdem Odilonis: Quocunque degebat, quocunque*  
*procedebat, tanta sequebatur eum frequentia fratrum, ut*  
*jam non ducens & principem, sed revera putares eum esse*  
*Archangelum Monachorum. Relationem denomina-*  
*tionis illustrat ex chronico Alexandrino de angelis, qui*  
*homines dicti, scribente. Mirum ergo non esse pu-*  
*tat Abbates dici Archangelos, si omnes homines di-*  
*cuntur angeli. Titulus venerabilis vero Beda simpli-*  
citer

(a) *advers. sacr. cap. 59. p. 68.*



citer ex communi fabula sibi vindicare videtur; licet inter se non conveniant autores, qua occasione ita fuerit appellatus. Sunt qui volunt Romæ fuisse portam ferream, in qua literæ PPP. SSS. RRR. FFF. quas cum legere nemo potuisset, Bedæ Romam venienti, easq; contemplanti, dixisse quendam Romanam: *Quid aspicias Anglice bos? Cui Bedam, confusionem vestram aspicio?* literasque hoc modo declarasse: *Pater Patriæ Perditus est: Sapientia Secum Sublata est: Ruet Regnum Roma: Ferro, Flamma, Fame.* Quod cum audivisset omnis populus Romanus, dignum eum judicasse honore & *Venerabilem* appellandum censuisse. Cum vero constet, eum nunquam Britannia excessisse, merito à Mabillonio in elogio historico Bedæ rejicitur hæc sententia, quam scriptores Angli quoque pro vera venditant. Petrus Equilinus in catalogo sanctorum inde ortum fabulatur, quod ejus discipulorum quidam ipsi epitaphium in vitis musis adornare conatus, cum Leoninum carmen sic coeptum, *hæc sunt in fossa*, vellet absolvere his verbis, *Bedæ sancti vel Presbyteri ossa*, nec metrum stare posset, aliudque memoriæ hinc non occurreret vocabulum, post nocturnum somnum repererit hunc versum angelicis manibus tumulo inscriptum:

*Hæc sunt in fossa Bedæ Venerabilis ossa.*

Aliam addit fabulam idem autor, sc. Bedæ, cum ex gravi senectute caligarent oculi ejus, svasisse discipulum lapides in cumulum congestos numerosam esse auditorum turbam, ad quos verba facere deberet. Cumque elegantissimum sermonem fervore maximo habuisset, atque conclusisset his verbis, *per omnia secula,*  
*seculo-*



*seculorum*, lapides respondisse: *Amen, Venerabilis Beda.* Trithemio *venerabilem* dictum putat, dum adhuc in vivis erat, ideo sc. quod cum ipsius homiliae, eo vivente, in ecclesiasticis officiis legerentur, *venerabilem* nuncupabant, quem adhuc in carne degentem nondum poterant *Sanctum* appellare. Quo factum sit, ut nomen *Venerabilis* passim usu receptum apud omnes hactenus auctoritatem retinuerit. Verum quemadmodum illa tacent omnes auctores, qui de rebus Anglorum scripserunt, sic Trithemii conjecturam falsam esse demonstravit Mabillonius, neque illius aetatis hoc cognomen haberi posse. Etsi autem cum Beda se res ita non habeat, tamen jam ante illa tempora *Venerabilitas, Veneratio & Venerabilis* titulus episcoporum honorarius fuit, teste Augustino in diversis epistolis. (a) *Venerantia* autem titulus olim erat Abbatum honorarius, si *Aimonium* audiamus. (b) Licet postea Episcoporum ille titulus, suffragantibus superiorum temporum monumentis, ab ipsis quoque Episcopis datus fuerit Abbatibus, & ab his iterum Priori totique conventui alicujus monasterii. Non ergo absolum erit, si dicamus literam illam V. in hoc numo commode explicari posse per *Venerabilem*. Si hoc autem ponamus, non erit ab ipso Timone cusus, sed ab alio, forte successore, atque sic inter memoriales referendus.

Pluribus L.B. molestus Tibi esse nolo, id unum rogitans, ut a vero aberrantem amice moneas. Plus enim in his antiquitatibus vident oculi, quam oculus. Et si forte diversos ab his invenis numos, ad praesentem tamen scopum spectantes, eorum delineationem a Te omnibus efflagito modis. Vale.

(a) 76. 78. 80. 88. 91. 95. &c. (b) de vita S. Abbonis Floriac. c. 17.







n. 112, 6.

NVMI B  
NVME  
CICENS  
VIENS

REVERENDI

DO

MAVRITIC  
S. I. C. M. A  
POSTVLATO  
EPISCOPATVS

DOMINO MEC  
jure ter  
& è

JO. AN  
SS. Theol. & Anti  
Julia Prof. P

Sumptibus HENRICI CHR  
Literis Mü



433.

ogr.

7

